

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Accessit auctoritas Summorum Pontificum, temporibus Gregorij Magni,
cum regio consensu; quamvis plena exemptio à jurisdictione Episcopi
tributa non sit. Adeodatus exemptionem indulxit monasterio ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

De Concordia Sacerdotij

III. Vnde apud Marculfum extant privilegiorum solennes formulae, quarum usus erat cum Episcopus & Princeps immunitates illas concederent. Ac in prima quidem, quæ concepta est sub nomine Episcopi, Decretum regium cum episcopali conjungitur, ut recte constituta fuisse immunitates monasteriorum doceatur: *Dum ab antiquitus iuxta constitutionem Pontificum, per regalem sanctionem, innumerabilia per omne regnum Francorum sub libertatis privilegium videntur constare monasteria.*

Marculf. form. 1.
Vide Notas V. C.
R. & r. d. s. D.
Bignotij.

Vide Notas Baldu-
ri ad epist. 11. Lut-
p. Ferrariensis.

Flooard. 1. 5. c.
37.

Privilegium Soef-
fionice Synodi T.
111. Conc. Gall.

Secunda formula apud Marculfum continet privilegij episcopalis confirmationem, quæ ideo à Rege decernitur, ut securius tranquillitas monasteriorum procuretur adversus futuros Episcopos quidecessorum suorum privilegia convellere tentarent. In ea formula omnia jura quæ diocesanus Episcopus remisit, & recensentur, & decreto regio muniuntur. Ad ultimum, huic formula adjiciuntur quædam capita ejus immunitatis quæ Princeps de juribus suis quamplurima remittit. In quam sententiam concepta est tertia formula, quæ de juribus temporibus remissis tantummodo tractat. Privilegium ab Episcopis Oriniacensi monasterio concessum, regio decreto confirmatum fuisse docet Hincmarus apud Flooardum. Hunc morem usurpatum fuisse in privilegio monasterij Floriacensis egregie docet Synodus generalis totius Galliae collecta apud Saponarias anno DCCCCLIX. quæ humi prostrata ante Carolum Regem & Rodolphum Bituricensem Archiepiscopum, obsecravit pri-
vilegium monasterij sancti Benedicti, quod annuente prefato Rege firmaverat, quodque idem Rodolphus subscriperat, qui prefatam abbatiam irregularitet retineba, ratum & inconvensum servare studebat. Privilegium monasterij Floriacensis à Synodo Gallicana concessum quidem fuerat, sed de consensu Regis. Illustrissimum quoque hujus moris exemplum extat in privilegio quod Synodus Suectionica monasterio Solemniacensi irrogavit anno octingentesimo sexagesimo sexto. Referunt patres Bernardum monasterij illius Abbatem, Normannis agrum Lemovici- num devastantibus, domus suæ instrumenta incendio absunta docuisse, ideoque regiam clementiam & synodalem adisse pietatem, pro privilegiis ipsi monasterio impetrantis, quibus sub tuitione regia atque apostolica & synodali defensione perpetuo muniretur. Mox addunt: Cu-
jus piis petitionibus simul cum regia sublimi clementia annuentes, hoc presens privilegium adjecta regie presidentie auctoritate decrevimus reborandum. Quantum verò momenti habe-
ret immunitas à Principe collata docet Ca-

rolus Calvus Rex: qui cùm Magniloci monasterium in diocesi Arvernica situm Episco-
po Arvernensi concessisset, inspectis im-
munitatis à se & à patre Ludovico datæ in-
strumentis, eidem Episcopo monasterium admetit.

IV. Accessit his decretis auctoritas Sum-
morum Pontificum, quæ has immunitates apostolicae sedis præsidio communivit. Initium harum confirmationum ad Gregorium Magnum vulgo refertur. quod aliqua ex parte verum est. Etenim trium monasteriorum in urbe Augustodunensi privilegia ab eo concessa leguntur anno sexcentesimo se-
cundo, sed quæ bonis oblatis consulant tan-
tum, ut ea monasteriis intemerata seruen-
tur, non autem eximant Abbates à diocesa-
na lege & jurisdictione Episcopi; quamvis
nonnisi adhibitis sex aliis Episcopis de cri-
minali causa adversus Abbates judicium ferre possit. Cererum ea privilegia ad peti-
tionem Brunichildæ Reginæ & Theodorici Regis indulta sunt, ut vel hinc pateat regio
consensu indiguisse illis temporibus, in Gal-
lia, omnia quæ paulò aliena à regulis esse
videbantur. Facultatum liberam admini-
strationem, Abbatis electionem, & alia
quædam diversis monasteriis indulxit, quæ
quieti monachorum propiscerent; sed ab
Episcoporum jurisdictione Abbates non
exemit. Nam quod monasterio sancti Me-
dardi à B. Gregorio collatum dicitur esse
privilegium, suppositum else omnibus jam
ferè constat. Quare prima fortasse exemptio
ab Episcopi jurisdictione, quæ à Romanis
Pontificibus indulta est, tribuenda erit
Adeodato Papæ: qui rogatus ab Aegyrico
Abbate sancti Martini Turonensis, illi pri-
vilegium immunitatis, causâ cognitâ, con-
cessit. Sed præfatus est hoc alienum esse à
more Romanæ Ecclesiæ, ut monasteria ab
Episcopi jurisdictione eximantur. Parumper
autem ambigimus, inquit, idcirco quod mos at-
que traditio sancte nostræ Ecclesiæ plus non sup-
petat à regimine episcopalis providentie religiosa
loca secernere. Quare nonnisi inspecto privi-
legio quod Crobertus Turonensis Episco-
pus irrogaverat, & Gallicani Episcopi sub-
scriptionibus suis firmaverant, auctoritatem
apostolicae sedis interposuit. Itaque non ab
invitis Episcopis Abbatem exemit, sed con-
sentientium vota decreto suo confirmavit.
Meminit quoque regiorum rescriptorum;
sed illorum necessitatem ad repellendos lai-
cos reflxit: Erga quod & precellentissimi ro-
tius Gallie Reges, ut scripto compemimus, ad re-
primendas laicorum infestaciones, editio prema-
nire idem venerabile monasterium regali pietate
dignati sunt. Attamen vis privilegi regij ad

Tom. II. M. 1.
Eccl. Gall. 1.
f. 7.

Greg. I. 1. 1. 1. 1.

Vide Compl. 1. 4. 9. 10. 11. 12.

x.

Privil. Ma-
t. T. 1. 1. 1.

Gall.

& Imperij Lib. III. Cap. XVI.

191

immunitates ecclesiasticas confirmandas extendebatur, ut supra monui. Quod testatur Pippini Regis ad Bonifacium apostolicæ sedis Legatum epistola. Construxerat Bonifacius Fuldense monasterium in loco sibi à Carolomanno Pipini fratre concesso. Tum à Rege illa petit, quæ his verbis Pippinus expressit: *Vt sicut ex auctoritate B. Petri principi Apostolorum, pro quo legatione fungeris, privilegio sedis apostolice sublimatum esse constat, ita etiam nostræ auctoritatis Precepto roboretur, placuit nobis tue petitioni assensum prebere. Et ideo hanc nostræ Preceptionis seriem ob honorem Dei & venerationem S. Petri conscribi jussimus, per quam privilegium sedis apostolice à B. Zacharia tibi collatum, cum consensu Episcoporum cunctorumq; fidelium nostrorum, per omnia robaramus; precipientes ut nullus Sac. reditus in regno nostro divinitus nobis concessio in prefato monasterio jurisdictionem aliquam sibi vendicet, praeter apostolicam sedem &c.* Idem demonstratur ex epistola Nicolai I. qua privilegium monasterij sancti Karilefi in pago Cenomanico siti confirmat. Testatur enim chartas quadam ab Episcopis Cenomanicis prolatas, quibus monasterium suæ civitati subditum esse demonstrare volebant, falsas esse, quæ doquidem privilegia Regum, que ex antiquorum Regum Francorum temporibus olim monasterio illi concessa sunt, hoc defrauant, sicut & ipsa testantur, que in archivis monasterij ob testimonium sibi concessa libertatis hodieque servantur. Itaque rogatum se ait à Carolo Rege, ut libertatem illi monasterio & ab Episcopis & à Regibus Francorum concessam sua firmaret auctoritate, & futuri manfusram temporibus roboraret.

V. Eundem ordinem sequebantur processores Galliarum, cùm monasteriis à se conditis libertatem querere volebant. Consensu enim Episcoporum decretum suum addebant, & sedis apostolicae auctoritatem. Eo modo se gessit Willermus Sancius Vasconia Comes, cùm sancti Severi monasterium in pago Adurense Auscitanae provinciae in Novempopulania situm excitat anno non gentesimo octuagesimo secundo. Collatis enim quamplurimis redibus, postquam Abbatis & monachorum exhibitioni prospexit, coenobium liberum esse jussit, non solum à tributis & omnibus fisci juribus, sed etiam ab Episcoporum administratione & jurisdictione, Ecclesiæque Romanae subdividit: *Nec in prefato loco quisquam Episcopus, inquit, cathedram audeat collocare, vel quamlibet licentiam habeat imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi cum permisso & voluntate Abbatis ipsi sacro loco presidentis; sed sint omnibus modis liberi, & absque ulla alia calumnia & inquietudine securi.*

Quæ omnia decrevit, cum confirmatione Archiepiscopi Auscienensis, & Burdegalensis, Episcoporum Agennensis, Vasconensis, Valatenensis, Bigorreensis, & Lactoratensis, & apostolicae sedis auctoritate munis fecit. Supererant adhuc præfæ consuetudinis reliqua anno millesimo quinquagesimo, cùm Goffridus Andegavorum Comes monasterium Vindocinense à se fundatum auctoritate & assertione Domini sui Regis Francorum Henrici, Theodorici etiam Carnotensis Episcopi consilio, beato principi Apostolorum Petro obtulit in alodium & patrimonium. Quare Ivo Carnotensis, peritissimus canonicae disciplinæ, privilegia S. Quintini eo nomine commendat, quod ab Episcopis Belvacensibus indulta fuissent, & quod ea apostolica manus roboravit, regia quoque maiestas Pragmatica Sanctione firmavit. Possent, si necesse foret, tabulae antiquæ monasteriorum proferri quæ à Regibus Italiae, Germaniae, Anglia, Navarre, Castellæ, Legionis, & Aragonum condita sunt, & privilegiis episcopalibus, tum regis, deinde vero etiam apostolicae sedis decretis firmata.

V. Ex hoc usu profectum ut si qui Episcopi immodestius se gessissent erga Abbates & monachos, libertas illis à Summis Pontificibus indulgeretur, invitis licet & renentibus Episcopis. Exemptionum probabilem causam hinc sumpsit Gregorius VII. in epistola ad Taurinensem Episcopum: *An ignorans, inquit, quod sancti patres plerunque & religiosa monasteria de subjectione Episcoporum, & episcopatus de parochia metropolitana sedis propter infestationem presidentium divisorunt, & perpetua libertate donantes, apostolica sedi velut principalia capiti suo membra adherere sanxerunt.* Eo praetextu utebatur Alexander II. cùm Gervasio Remensi, qui privilegia monasterio Corbeiensi concessa, ab ecclesiastico canone aliena esse existimabat, in hunc modum rescrispit: *Alias esse leges Ecclesiarum que sunt generales, & alias esse eas que specialiter in privilegiis, quibusdam prerogantur Ecclesiæ ad immunitatem, ne quorumlibet importunitate patiamur inquietudines.* Sed tandem exemptiones istæ sola Pontificum liberalitate & gratioso beneficio, Regibus conniventibus, concessa sunt. Quod ægre tulerunt omnibus seculis Episcopi; qui dolorem suum sepissime litibus implicatissimis & scriptorum querelis ulti sunt. Imo & Bernardus Abbas de hac imminutione auctoritatis episcopalnis graviter conquestrus est in libris de Consideratione ad Eugenium Papam: *Murmur loquar & querimoniam Ecclesiarum; truncari se clamitant ac demembrari. Vel nulla vel paucæ sunt que plagam istam aut*

In Notis ad ep. 1.
I. i. Gottfrid. Vian.
doc.

Ivo Carnot. ep. 139.

privilegia mo-
nasteriorum
sunt s. Karilefi.

Charta fundatio-
nis ab ep. 1. m.
libra. Benetum.

t. 1.

Bernard. lib. 3. de
Confider.